

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Peregrinatio Religionis ergo. Menedemvs, Ogygivs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

FAMIL. COLLOQUIA

423

asperam. (b) Vide Galenum de locis adfectis. (i) Hoc Apuleius, Lucianum securus. (k) Locator, significat esse conductitium. (l) Græcis est *ἐκδοτέον* vocabulum Philosophis peculiare. Sed Fabulla retorquet ad Iureconsultos, qui distinguunt inter iter, actum & viam. (m) Hoc sensit Pythagoras, nec omnino dissimile veri est. (n) Manu mittam, quia dixerat se mancipium.

PEREGRINATIO RELIGIONIS ERGD.

MENEDEMVS, OGYGIVS.

ME. Quid hoc novæ rei? Nōne Ogygium vicinum meum video, iam totos sex menses non visum cuiquam? Interiisse rumor erat. Ipsus est, nisi prorsus hallucinor. Adibo, ac salvere iubebo. Salvus sis Ogygi. OG. Salve & tu Menedeme. ME. Quæ regio te nobis reddidit incolumem? Nam tristis rumor hic sparserat te navigasse Strygiam paludem. OG. Imò, gratia superis, sic interim valui, ut vix unquam antehac melius. ME. Ita semper vanitatis congruus istiusmodi rumores. Sed quid istuc ornatus est? obstrictus es conchis (a) imbricatis, stanneis & plumbeis imaginibus oppletus undiq; (b) culmeis ornatus torquibus, brachium habet (c) ova serpentum. OG. Visi D. Iacobum Compostellanum & hinc reversus virginem Parathalassiam apud Anglos præcelebrem: quin potius hæc revisi. Nam ante annos tres inviseram. ME. Animi gratiâ, ut arbitror. OG. Imo religionis causâ. ME. Istam opinor religionem docuerunt te Græci literæ. OG. Mater uxoris voto sese obstrinxerat, ut si filia peperisset masculum
Ecce vitalem,

vitalem, ego divo Iacobo præsens præsenti salutem dicerem, & gratias agerem. ME. Salutasti divum tuo duntaxat & socrus nomine? OG. Imò totius familie verbis. ME. Equidem arbitror nihilo minus salutis futurum fuisse familie, etiamsi Iacobum in salutatum reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias? OG. Nihil, sed offerenti munus, visus est arridere, & capite leviter annuere, simulque porrexit hoc imbricatum putamen. ME. Cur ista potius donat, quàm alia? OG. Quoniam his abundat suggerente vicino mari. ME. O benignum Divum, qui & obstetricatur parturientibus, & operam dat hospitibus? Verùm quodnam istuc novum votèdi genus, ut ociosus aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto adstringeres, ut si, quod ageres, feliciter cederet, ego ieiunarem bis in hebdomade: an credis me facturum quod votisses? OG. Non credo, etiamsi tu ipse tuo nomine votisses. Nam tibi Divis (d) os oblinere ludus. At socrus est, mos gerendus erat. Nosti mulierum adfectus: & mea quoque referebat. ME. Si non prestitisses votum, quid erat periculi? OG. Non poterat me Divus vocare in ius fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad vota mea, aut tacitus aliquid calamitatis immittere in meam familiam. Nosti principum mores. ME. Dic mihi, quid valet agitur, vir optimus Iacobus? OG. Multo frigidius solito. ME. Quid est in causa senii? OG. Nugator, scis Divos non senescere. Verum hac nova persuasio, quæ latè per orbem divagatur, facit, ut infrequentius saluteretur solito: & si qui veniunt, salutant

salutant tantum, nihil, aut quàm minimum donāt:
 dictu ares, eam pecuniam rectius collocari in egenos.
 ME. (e) Impia persuasio. OG. Itaq, tantus Apostolus,
 qui solet totus gemmis & auro fulgere, nunc stat li-
 gneus, vix sebaccam habens candelam. ME. Si verū
 est, quod audio, periculum est, ne reliquis Divis idem
 veniat usq. OG. Imò circumfertur epistola, quàm
 hac de re scripsit ipsa virgo Maria. ME. Quæ Maria?
 OG. Quæ cognomen habet à lapide. ME. Apud Rave-
 racos, ni fallor. OG. Ea est. ME. Lapideam igitur Di-
 vam mihi narras. Sed cui scripsit? OG. Nomen ipsa
 indicat epistola. ME. Per quem missa est? OG. Haud
 dubie quin per angelum, qui posuerat scriptā in sug-
 gesto, unde concionatur is, ad quem scripta est. Et ne
 quid fraudis suspiceris, videbis epistolam (f) αὐτοῦ γε-
 φov. ME. Itane agnoscis manum angeli, qui est Vir-
 gini ab epistolis? OG. Quid nū? ME. Quo tandem ar-
 gumento. OG. Legi epitaphium Bedæ, quod ab an-
 gelo insculptum est: elementorum figura per omnia
 congruunt. Legi & syngrapham divo (g) Agidio
 missam: congruunt. An non hæc satis arguunt rem?
 MEN. Fāsne est inspicere? OG. Fas, si deieres te
 taciturnum. ME. Oh, lapidi dixeris. OG. Iam sunt
 & (h) lapides hoc nomine infames, quòd nihil celent.
 ME. Muto igitur dicito, si lapidi parum fidis. OG.
 Hac lege recitabo: tu fac utrang, arrigas aurem.
 ME. Arrexī. OG. Maria mater Iesu Glauco pluto.
 S. D. Quòd Lutherum sequutus strenuè suades,
 supervacaneum esse invocare Divos, à me quidem
 isto nomine bonam magnamq, inisti gratiam, scito.

Ee 2

Nane

Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque, in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quicquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne, si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nunquam ea petunt à Virgine, quæ verecundus invenis vix auderet petere à Iena, quæque me pudet literis committere. Interim negotiator lucri causâ navigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinae. Et virgo Deo sacra, abiecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi miles impius, & ad lanienam conductus: Beata virgo, da prædam optimâ. Occlamat aleator: Fave diva, pars lucri tibi decideretur. Et si parum fa-
veat alea, me cõvitiis lacerant, malèque precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat, quæ quæstui turpi semet exponit: Da proventum uberem. Si quid negem, illicò reclamât: Ergone sis mater misericordiae? Aliorum vota non tam impia sunt, quàm ineptia. Clamat innupta: Maria, da mihi formosum ac divitem sponsum. Clamat nupta: Da mihi bellos catulos. Clamat gravida: Da mihi facili partum. Clamat anus: Da diu vivere sine tussi finem. Clamat senex delirus: Da repubescere. Clamat Philosophus: Da nodos insolubiles necere. Clamat sacerdos: Da sacerdotium optimum. Clamat Episcopus: Serva meam Ecclesiam. Clamat nauta: Da
prosperos

prosperos cursus. Clamat praefectus: Ostende mihi filium tuum, antequam moriar. Clamat aulicus: Da verum confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus: Da tempestivam pluviam. Clamat rustica: Serva gregem et armentum incolitum. Si quid renuo, ilico sum crudelis. Si relego ad filium, audio: Vult ille quicquid tu vis. Itane ego sola et mulier et virgo dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus, et agricolis? Atqui quod dixi, minimum est praeter his, quae patior. Sed his negotiis nunc multo minus gravor, quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc incommodum maius secum traheret: plus est otii, sed minus est honorum, minus est opum. Antequam salutarer Regina caelorum. Domina mundi: nunc vix a paucis audio: Ave Maria. Antequam vestiebar gemmis et auro, abundabam mutatoriiis, deferiebantur aurea gemmaeque donaria: nunc vix regor dimidiato palliolo, eoque corroso a muribus: Proventus autem annui vix tantum est, ut aliam miserum (i) editum, qui accendat lucernulam, aut candelam scabre. Atque haec tamen poterant ferri, ni maiora etiam moliri dicereris. Huc tendis ut aiunt, ut quicquid usquam est Divorum, exigas ex edibus sacris. Etiam atque etiam vide quid agas. Non deceat aliis Divis, quo suam ulciscantur iniuriam. Eiectus est templo Petrus, potest tibi vicissim occludere regni caelestis ostium. Paulus habet gladium. Bartholomaeus culiro armatus est. Gulielmus sub pallio monachi

totus armatus est, non sine gravi lanceâ. Quid autem agas cum Georgio & equite, & (k) cataphraeto, hastâ simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius, (l) habet sacrum ignem. Sunt item & ceteris sua vel arma vel mala, qua quibus volunt inmittunt. Me verò quantumvis inermem non tamen eiicies, nisi simul ciecto filio quem ulnis teneo. Ab hoc me non patiar divelli, aut hunc unâ mecum extrudes, aut utrunq; relinques, nisi mavis habere templum sine Christo. Hæc te scire volui, tu cogita quid mihi respondendum censeas. Nam mihi planè res cordi est. Ex ede nostra lapidea, Calend. August. Anno filii mei passi, M. D. XIX.

Virgo lapidea meâ manu subscripsi.

MEN. Minax profecto ac formidabilis epistola. Cavebit, opinor, Glaucoptus. OG. Si sapit. MEN. Quamobrem non eadem de re scripsit huic optimus ille Iacobus? OG. Nescio, nisi quod longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. ME. Sed quis Deus te redegit in Angliam? OG. Ventus illuc invitabat mirè secundus, atq; id propemodum eram pollicitus dñe Parathalassie, me post biennium ipsam revisurum. ME. Quid petiturus ab illa? OG. Nihil novi, nisi illa vulgaria familiam incolumem, rem uberiores, longevam, latamq; vitam in hoc seculo, & perennem felicitatem in futuro. ME. Non poterat eadē prestare virgo mater apud nos. Habet Antverpie templum longè augustius, quàm in Parathalasso. OG. Haud nego posse: verum aliis in locis alia largitur: sive sic visum est animo illius, sive ut est benigna,

benigna, semet in hoc nostris adfectibus accommo-
dat. ME. De Iacobo frequenter audiui: sed obsecro,
describere mihi regnum istius Parathalassiae. OG. E-
quidem expediam quam potero paucissimis. Cele-
berrimum nomen est per unguersam Angliam, nec
temerè reperiās in ea insula, qui speret res suas fore
salvas, quin illam quotannis aliquo munusculo pro
facultatum modulo salutarit. ME. Vbi habitat?
OG. Ad extremum Angliae finem inter occidentem
& septentrionem, haud procul à mari, passuum ferè
tribus millibus. Vicus est, vix aliā re victitans, quā
commeantium frequentia. Collegium est canonico-
rum sed quibus à Latinis regule cognomen additur,
medium genus inter monachos & canonicos, quos
Seculares appellant. ME. Amphibios mihi narras,
quod genus est fiber. OG. Imò & crocodilus. Sed o-
missis cavillis, tribus verbis expediam quod vis. In
odiosis canonici sunt: in favorabilibus monachi. ME.
Adhuc mihi quidem enigma refers. OG. Quin ad-
dam (m) apodixim mathematicam. Si Romanus
pontifex fulmine feriat omnes monachos: tum ca-
nonici fuerint, non monachi. Sin idem permittit o-
mnibus monachis uxorem ducere: tum fuerint mo-
nachi. ME. O novos favores: utinam abducant &
meam. OG. Sed ut ad rem. Collegium hoc vix alios
habet proventus, quā ex liberalitate virginis.
Nam maiora quidem donaria servantur. Ceterū
si quid est nummorum, aut levioris precii, cedit in
alimoniam gregis & praefecti, quem illi priorem vo-
sant. ME. Probe vire. OG. Non illaudate: pietate

ditiores, quàm annuo censu. Templum est nitidum
 & elegans: verùm in eo non habitat virgo, sed illud
 honoris gratià cessit filio. Illa suum habet templum,
 ut dextra sit filio. MENEDE. Dextra? ~~Es.~~ Quò
 igitur spectat filius? ~~Ogy.~~ Benè mones. Cum occi-
 dentem spectat, dextram habet matrem: ubi se ver-
 tit ad solis exortum, sinistra est. Nec hic tamen ha-
 bitat: nondum enim ædificium est absolutum, & lo-
 cus est undiq; perflabilis patentibus ostiis, patentibus
 fenestris: & in propinquo est Oceanus, ventorum pa-
 ter. MEN. Durum: ubi igitur habet illa? OGY.
 In eo templo, quod in absolutum dixi, est sacellum
 angustum, ligneo tabulatu constructum, ad utrun-
 que latus per angustum ostiolum admittens saluta-
 tores. Lumē est exiguum, nec ferè nisi ex cereis: fra-
 grat odor naribus gratissimus. MEN. Hec omnia
 congruunt religioni. OG. Imo, si introspicias Me-
 nedeme, dicas Divorum esse sedem, adeò gemmis, au-
 ro, argentoq; nitent omnia. ME. Accendis animum
 ut eò me conferam. OG. Haud ~~te~~ pœnituerit iti-
 neris. MEN. Nihil est illic olei sacri? OG. Inepie,
 oleum istud non resudat nisi è sepulchris Divorum,
 velut Andreæ & Catharinæ. Maria sepulta non est.
 ME. Erravi fateor, Sed absolue fabulam. OG. Quò
 latius se spargat religio, alia aliis locis ostenduntur.
 ME. Et fortassis ut uberior sit largitio, iuxta illud:
 Fit citò per multas præda petita manus.

OG. Et nusquam non præstò sunt mystagogi. ME.
 Ex canonicis. O. Nequaquàm illi non adhibentur, ne
 per occasiōē religionis, alienentur à religione: ac, dū
 observant

observant virginem, parum ipsi consulant suae virginitati. Tantum in intimo sacello, quod dixi conclave divae virginis, adstat altari canonicus quidam. MEN. In quem usum? OGY. Ut recipiat servetq, quod datur. MEN. An dant qui nolint? OGY. Minime: sed nonnullos pius quidam pudor huc adigit, ut dent adstante quopiam: non daturi, si testis abesset: aut largius dant aliquantò quàm erant daturi. MEN. Adfectum humanum dicis & mihi non inexpertum. OGY. Imò verò sunt quidam adeò dediti sanctissimæ Virgini, ut dum simulant sese minus imponere altari, mirâ dexteritate suffurentur, quod alius posuerat. MEN. Fac nullum adstare, an non in tales illic fulminaret Virgo? OGY. Quî magis id faceret virgo, quam ipse pater atherens, quem non verentur nudare suis ornamentis, vel perfosso templi pariete? MEN. Non satis mihi constat, utrum magis debeam admirari: illorûne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. OGY. Ad latus itaq, septentrionale porta quedam, non ad templi, ne quid erres, sed septi, quo tota clauditur arca templo adiacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale videmus in valvis nobilium, ut qui velit ingredi primùm tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. MEN. Profecò tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. OGY. Rectè coniectas. Narrabat mystagogus, olim virum equestri ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui iam fugienti imminabat. Ibi

Ec 5 miser

miser desperans sui, subitâ cogitatione salutem suam commendavit Divæ virginî, quæ erat in proximo. Nam ad huius aram fugere decreverat, si valva patuisset. Et ecce rem inauditam. Subitò totus equus erat intra septa templi, altero frustra foris insaniente. MEN. Et faciebat tam admiranda narrationis fidem? OGY. Maxime. MEN. Id quidem non admodum facile apud te hominem philosophum. OGY. Ostendebat in ostio laminam cupream clavis adfixam, quæ habebat imaginem equitis servati, eoque cultu, quod tum Anglica gens utebatur, quem & in vetustioribus picturis videmus, quæ si non mentiuntur, frangebant id ætatis tonsores, & qui pannos tingunt ac texunt. MEN. Quis sic? OGY. Quia barbatus erat, non aliter quam capræ; & universa vestis nullam habebat rugam, adeoque non erat maior corpore, ut strictu corpus ipsum redderet angustius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. MEN. Jam dubitare fas non erat. OGY. Subter ostiolum erat cratis ferrea, quæ peditem tantum transmitteret. Non conveniebat ut equus post eum calcaret locum, quem prior equus Virgini consecrasset. MEN. Et merito. OGY. Hinc ad Orientem est sacellum prodigiis plenum, eò me confero. Excipit alius mystagogus. Illic oravimus paulisper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, è tribus maximis exosculor: deinde rogo, cuius sint reliquæ: ait, Sancti Petri. Num Apostoli, inquam? Aiebat.

Deinde

Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui
 gigantis videri potuerit: Oportuit, inquam, Pe-
 trum fuisse virum praegrandi corpore. Ad hanc vo-
 cem è comitibus quidam in cachinnum solutus est.
 Id certè molestè tuli. Nam si is siluisset, editurus nos
 nihil celasset reliquorum. Eum tamen utcumq; pla-
 cavimus datis aliquot drachmis. Ante ediculam
 erat tectum, quod aiebat, hyberno tempore, cum nix
 obtexisset omnia, eò subito fuisse delatum è longin-
 quo. Sub eo tecto putei duo ad summum pleni: fon-
 tis venam aiunt esse sacram Divae virginis: liquor
 est mirè frigidus, efficax medicando capitis stoma-
 chiq; doloribus. MEN. Si frigida medetur dolo-
 ribus capitis & stomachi, posthac & oleum extin-
 guet incendium. OGY. Miraculum audis, o bone:
 aliqui quid esset miraculi, si frigida sedaret sitim?
 MEN. Et ista sanè est una pars fabulae. OGY.
 Adfirmabant eum fontem derepente profuissse è
 terra iussu sanctissimae Virginis. Ego cuncta dili-
 genter circumspiciens, rogabam quot essent anni,
 quòd ea domuncula fuisset eò deportata: dixit,
 aliquot seculà. Alioqui parietes, inquam, non
 prae se ferunt aliquid vetustatis. Non repugnabat.
 Ne columnae quidem haec lignae. Non negabat
 esse nuper positas, & res ipsa loquebatur. Deinde:
 haec, inquam, tecti culm^{ina} arundineaque ma-
 teria videtur esse recentior. Adsentiebatur. Ac
 ne trabes quidem haec, inquam, transversae, nec
 ipsa tigna, quae culmos sustinent, videntur ante
 multos annos posita. Annuebat. Atqui cum iam
 nulla

nulla case pars superesset, Vnde igitur constat, in-
 quam, hanc esse casulam illam e longinquo dela-
 tam? MEN. Obsecro quomodo sese ab hoc nodo
 expediebat editurus? OGY. Scilicet incontanter
 ille ostendit nobis per vetustam urfi pellem tignis ad-
 fixam ac propemodum irrisset nostram tarditatem,
 qui ad tam manifestum argumentum non habere-
 mus oculos. Itaq, persuasi, & tarditatis culpam de-
 precati, vertimus nos ad cœleste lac Beate Virginis.
 MEN. O matrem filii similimam. Ille nobis tan-
 tum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantum la-
 ctis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri
 unipare, etiamsi nihil bibisset infans. OGY. Idem
 causantur de cruce Domini, quæ privatim ac pub-
 licè tot locis ostenditur, ut si fragmenta conferan-
 tur in unum, navis onerariæ iustum onus videri
 possint, & tamen totam crucem suam baiulavit
 Dominus. MEN. An non tibi quoque mirum vi-
 detur? OGY. Novum fortasse dici possit, mirum
 nequaquam, quum Dominus, qui hæc auget pro suo
 arbitrio, sit omnipotens. MEN. Piè tu quidem in-
 terpretaris: at ego vereor, ne multa, & alia singantur
 ad questum. OGY. Non arbitror Deum passu-
 rum, si quis ipsam ad istum irrideat modum. ME.
 Imò cum à sacrilegis spoliatur & mater & filius, &
 pater, & spiritus, ne tantulum quidem sese commo-
 vent interdum, ut vel natu, vel crepitu deterreant
 scelestos Tanta est numinis lenitas. OGY. Sic est:
 sed audi reliqua. Id lac servatur in altari summo,
 in cuius medio Christus, ad dextram mater honoris
 gratiâ.

gratiâ. Lac enim matrem representat. MEN.
 Conspicuum est igitur. OGY. Videlicet inclusum
 crystallo. MEN. Liquidum igitur. OGY. Quid
 liquidum mihi narras, cum fufum sit ante annos
 mille quingentos? Concretum est, dicas cretam tri-
 tam, alboq; ovi temperatam. MEN. Quin igitur
 nudum ostendant? OGY. Ne contaminetur viro-
 rum osculis lac virgineum. MEN. Probè dicis.
 Nam sunt, opinor, quos admoveant nec purum,
 nec virgineum. OGY. Vbi nos videt mystagogus,
 adcurrit, vestem lineam induit, sacram stolam ad-
 didit cervici, procubuit religiosè & adoravit, mox
 nobis lac sacrosanctum osculandum porrexit. Hic
 in extremo altaris gradu religiosè procubimus &
 ipsi Christoq; primum salutato, virginem oratiun-
 culâ tali, quam in hoc ipsum pararam, appellavi-
 mus. Virgo parens, quæ tuis virginis uberibus la-
 ctare meruisti cæli terræq; dominum, filium tuum
 Jesum, optamus, ut illius sanguine purificati, proficiamus
 & nos ad felicem illam infantiam columbi-
 ne simplicitatis, quæ nescia malitiæ fraudis, ac do-
 li, lac evangelicæ doctrinæ concupiscit assidue, do-
 nec proficiat in virum perfectum, in mensuram ple-
 nitudinis Christi, cuius felici consortio fruere in æ-
 ternum, cum patre & spiritu sancto. Amen. MEN.
 Pia sanè deprecatio. Quid illa? OGY. Visus est
 uterq; annuere, nisi me fallabant oculi. Nam sub-
 silire videbatur sacrum lac, & candidior aliquan-
 tò adfulgebat eucharistia. Interim mystagogus ad
 nos accessit, tacitus quidem, sed tabellam porrigens,
 qualem

qualem apud Germanos offerunt. qui in pontibus (a) Telos exigunt. MEN. Equidem sapenúmero malè precatus sum illis petacibus tabellis, cum per Germaniam iter facerem. OGY. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit virgini. Mox per interpretem eius linguae pulchrè peritum, & iuvenem blandè cuiusdam eloquentiae (nomen erat, ni fallor, Robertus Aldrisius) percontatus sum, quàm potui bellissimè, quibus argumentis cognitum haberet, hoc esse lac virginis. Id ego sane pio studio scire cupiebam, quo possem impiis quibusdam hec omnia videre solitis, os obturare. Primum (o) mystagogus obductâ fronte obticuit: iussi, ut interpretes instaret, sed blandius etiam. Ille verò blandissimè, adeò ut si matrem ipsam nuper perperam talibus verbis appellasset, non fuerit egrelatura. At mystagogus tanquam adflatus numine quopiam, nos intuens oculis stupentibus, ac velut horrore vocem blasphemam execrantibus: Quid opus, inquit, ista percontari, quum habeatis tabulam authenticam? Et omninò videbatur nos ut hereticos eiekturus, nisi drachma delinissent hominis ferociam. MEN. Quid vos interim? OGY. Nos, quid censes? Non aliter quàm fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illinc subduximus, suppliciter audacia veniam comprecari. Sic enim conveni in rebus sacris. Inde proficiscimur ad adiculam, hospitium divae virginis. Huc euntibus aperit sese quidam hierophanta, ex illis minoribus, nosq; veluti oscitans intuetur: aliquantum progressi, occurrunt

currit alius, itidem contemplans nos. post etiam tertius. MEN. Fortasse cupiebant depingere. OGY. At ego longè diversum suspicabar. ME. Quid istuc? OGY. Sacrilegum quempiam suppilasse nonnihil ex (p)mundo sacra virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali preca-tiunculâ saluto matrem virginem: O sola foemina-rum omnium mater & virgo, mater felicissima, virgo purissima, nunc te puram impuri visimus sa-lutamus, donariolis nostris utcunq; colimus: utinam donet nobis filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per spiritus sancti gratiam spiritualiter dominum Jesum intimis ani-mi visceribus concipere, semelq; conceptum nun-quam amittere. Amen. Simulq; exosculatus aram, deposui drachmas aliquot, & abii. ME. Quid hic virgo? Nullone nutu dedit signum auditæ preca-tiuncula? OGY. Lumen, ut dixi, erat ambiguum, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus alta-ris. Postremò, me sic deiecerat oratio prioris my-stagogi, ut non auderem oculos attollere. MEN. I-stius igitur profectiois non erat admodum letus exitus. OGY. Imò multò latissimus. MEN. Red-didisti animum: nam mihi quoque (q) cor in ge-nua deciderat, ut tuus loquitur Homerus. OGY. A prandio repetimus templum. MEN. Audebas fa-spectus sacrilegii? OGY. Fortassis: sed ipse mihi su-spectus non eram. Nescit pavorem mens sibi bene conscia. Trahebat me tabula visenda cupiditas, ad quam mystagogus nos relegarat. Eam diu qua-sitam,

siam, tandem invenimus, verum in alto defixam, ut non à quibuslibet oculis legi posset. Mibi tales sunt oculi, ut nec Lynceus dici possim, nec omnino lusciosus. Itaque legentem Aldrisum oculis obiter adfectatus sum, nec illi satis fidens in re tanta. MEN. Excussa est omnis dubitatio? OGY. Pudet me mei, qui subdubitassem, adeò res tota illic ponebatur ob oculos, nomen, locus, res, ut erat ordine gesta: breviter, nihil omissum. Dicitur est Guilielmus Lutetiae natus, vir pius, cum aliis tum precipue religiosus in conquirendis toto orbe Divorum reliquiis. Is peragratibus regionibus plurimis, monasteriis ac templis undique lustratis, tandem pervenit Constantinopolim. Nam huius Guilhelmi frater illic agebat episcopum. Is iam adornantem reditum admonuit esse virginem quandam Deo dicatam, quae lac haberet virginis matris, abunde felicem futurum, si vel precario, vel pretio, vel arte portionem aliquam posset nancisci. Nam ceteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, nihil esse ad tam sacrum lac. Ibi Guilielmus non conquisivit, donec exorat dimidium eius lactis. Eo thesauro plus quam Cresus sibi videbatur. MEN. Quidam, & quidem prater spem? OGY. Rectè domum properat: in itinere morbus occupat. MEN. Ut nihil est in rebus humanis nec diu, nec undiquaq; felix! OGY. Vbi videret periculum, acersit clam Galium fidissimum eius peregrinationis comitem. Et religiose stipulatur silentium: committit illi lac ea lege, ut si incolumis domum redeat, deponat eum thesau-

thesaurum in ara diuæ virginis, qua colitur Lutetia
in augusto templo, utrinque Sequanam præter la-
bentem intuens, & amnis ipse videtur honoris gra-
tiâ decedere numini virginis. Ut rem in pauca con-
feram, sepultus est Guilhelmus: alter properat, &
hunc morbus corripit. Is desperans sui, tradit An-
glo comiti lac, sed multis obiectionibus adstricto, ut
faceret quod fuerat ipse factururus. Moritur hic,
recipit ille, & in arâ deponit lac, Canonicis eius loci
presentibus, qui tum temporis adhuc dicebantur
regulares, quales adhuc sunt apud diuam Genove-
sam. Ab his impetravit lactis dimidium. Id de-
latum in Angliam, tandem in Parathalassum de-
tulit huc vocante mentem illius adflatu spiritus.

MEN. Pulchrè certè sibi constat hæc narratio. OG.
Immò ne qua residere posset dubitatio, adscripta
erant nomina Episcoporum à suffragiis, qui lac illud
invisentibus non absque munusculo, tantum impar-
tierunt relaxationis, quantum ex suo (r) dimenso
largiri possunt. MEN. Quantum id est? OGY.
Dierum quadraginta. ME. Etiam apud (s) inferos
dies est? OG. Certè tempus est: ME. Vbi totum hoc
dimensum semel fuerint elargiti, non superest quod
largiantur? OG. Minimè: subscatet enim subinde
quod dent, ac planè diuersum quiddam accidit hîc
atque in dolio (t) Danaidum. Illud enim quum con-
tineretur impleretur, semper tamen inane est: hinc si
semper haurias, nihil tamen minus est in dolio. ME.
Si centum hominum millibus largiantur quadra-
ginta singuli tantundem habent? OG. Tantundem.

(t) Danaides n. s. Danaï filii. F. ap. inferos. Hæc filii hauri-
ant aquam in dolio. Haurire singuli. Hinc
Hæc Danaidum implere dolia. i. e. operam perdere.

MEN. Et si qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub coenam poscerent quadraginta, præstōne esset quod daretur? OGY. Imò si horā eādē decies. MEN. Vinam mihi tale scriniolum esset domi, non optarim nisi tres drachmas modo sic scateant. OGY. Quin optas ut totus fias aureus, tantundem accepturus ex voto. Verum ad fabulam redeo. Addebatur & illud pii cuiusdam candoris argumentum: lac virginis quod aliis compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse venerandum: hoc tamen ceteris esse venerabilius, quod illa abraderentur à saxis: hoc ex ipsis virginis uberibus effluxisset. MENE. Vnde id constabat? OGY. Ob, narrarat hoc virgo Constantinopolitana, qua lac dederat. ME. Et illi fortasse communicarāt divus Bernhardus. OGY. Sic arbitror. MEN. Cui natu grādi contigit gustare lac ex eadem mamma, quam suxit puer Iesus. Vnde miror illum mellifluum dici potius quā lactifluum. Sed quomodo lac virginis dicitur, quod non fluxit ex uberibus? OGY. Fluxit & illud: sed saxo, cui fortē lactans insidebat, exceptum concrevit: deinde, volente Deo sic multiplicatum est. MEN. Rectē, perge. OGY. His itaque peractis, dum paramus abitum, obambulantē interim, & si quid offerretur spectatu dignum, circumspēctantes, rursus adsunt myslagogi, (u) limis intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, videbantur compellaturī, si fuisset audacia satis. MEN. Nihil ibi metuebas. OGY. Imò faciē illis obverti, sic arriēns ac intuens, quasi ad compell-

compellendum invitarem. Tandem unus aggressus, rogat quod m. hi nomen esset? edo. Num is essem, qui ante biennium adfixisset vot. vā tabellam literis Hebraicis? Fatebar esse me. MEN. E. Scribis Hebraicè? O G. Minimè: Sed isti quicquid non intelligunt, Hebraicum vocant. Mox accersitus, ut conicio, venit illius collegii πρῶτος ἱερεὺς. MEN. Quod istuc dignitatis nomen est? Non habent Abbatem? O G. Non. MEN. Cur ita? O G. Quia nesciunt Hebraicè. MEN. Non episcopum? O G. Nequaquam. MEN. Quamobrem? O G. Quia virgo pauperior etiamnum est, quàm ut emat pedum ac mitram nimio venalem. MEN. Non saltem prepositum? O G. Ne id quidem. MEN. E. Quid obstat? O G. Quia prepositus dignitatis est nomen non sanctimonie. Et ideo Canonice collegia nomen Abbatis reiciunt, prepositi libenter amplectuntur. MEN. Atqui πρῶτος ἱερεὺς antehac audiui nunquam. O G. Neta magnoperè rudis es Grammatices. ME. ἱερεὺς πρῶτος novi in tropis. O G. Tenes. Hic qui priori proximus est, prior est posterior. ME. Subpriorem dicis. O G. Is me salutavit satis humaniter. Narrat quantopere sedatum sit à multis, ut versus eoslegerent: quot frustra extersa perspicilla. Quoties advenisset aliquis vetustus Theologie aut Iuris doctor, adductus est ad tabellam: alius dicebat esse literas Arabicas, alius fidelitias: tandem repertus est, qui legere titulum. Is descriptus erat verbis ac literis Romanis, sed manusculis. Graci versus erant descripti

E f 2

Gracie

Græcis maiusculis, quæ primâ specie videntur referre maiusculas Latinas. Rogatus descripsi sententiam carminum Latinè, verbum verbo reddens. Huius opelle cùm præmiolum oblatum constanter recusarem, adfirmans, nihil esse tam arduum, quod in virginis sanctissime gratiam non essem cupidissime facturus, etiamsi literas iuberet illinc perferre Hierosolymam. ME. Quid opus te grammatophoro, quum illi tot angeli adsint à manibus atque a pedibus? OG. Ille protulit è crumena ligni fragmentum desectum è trabe, in qua virgo mater visa est consistere. Odor mirus protinus arguebat esse rem oppido sacram. Ego verò tam insigne munus pronus & nudato capite summa cum veneratione terq; quaterq; exosculatus reposui in crumenâ. ME. Licetne videre? OG. Per me quidem licebit. Ceterum si ieiunus non es, aut si nocte proximâ fuit tibi res cum uxore, non suaferim ut videas. MEN. Ostende, nihil periculi. OG. En tibi. ME. O te beatum isto munere! OG. Ego, ne sis insciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cum universo auro (x) Tagi: includam auro, sed sic, ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus, ubi me videt tam religiose gestientem eo munusculo, indicans non indignum cui maiora quoq; committeretur, rogat, num quando vidissem secreta virginis. Ea vox me nonnihil commovit, non tamen ausus sum percontari, quæ diceret secreta virginis. Siquidem in rebus tam sacris etiam lingue lapsus non vacat periculo. Nego me vidisse; sed videndi cupidissimum esse dico. Inducor

ducor iam velut afflatus numine. Accenditur una
 atque altera tæda cerata, ostenditur imaguncula
 nec magnitudine, nec materiâ, nec opere præcellens,
 sed virtute pollens. MEN. Moles non multum ha-
 bet momenti ad edenda miracula. Vide Christo-
 phorum Lutetie non (y) hamaxieum aut (z)
 colosseum, sed monti iusto parem, nullis tamen illic,
 miraculis nobilem, quod quidem audierim. O G Y.
 Ad pedes Virginis est gemma, cui nondum apud
 Latinos aut Græcos nomen inditum, Galli à buffo-
 ne dederunt nomen, eò quòd buffonis effigiem sic ex-
 primat, ut nulla ars idem possit efficere. Quòdque
 maius est miraculum, pusillus est lapillus, non pro-
 minet buffonis imago, sed in ipsa gemma velut in-
 clusa pellucet. MEN. Fortassis imaginantur buffo-
 nis similitudinem, quemadmodum in secta filicis
 stirpe imaginamur aquilam. Et quemadmodum
 pueri quid non vident in nubibus? dracones ignem
 spirantes, montes igni candentes, armatos concur-
 rentes. O G. Imò, ne sis nesciens, nullus buffo vivus
 evidentius exprimit seipsum, quàm illic erat expres-
 sus. MEN. Hactenus pertuli fabulas tuas: posthac
 alium quære, cui persuadeas de buffone. O G. Nihil
 mirum est Menedeme, te sic affectum esse. Nec mihi
 quisquam persuasurus erat, etiam si totus ordo Theo-
 logorum asseverasset, nisi his oculis, hisce, inquam,
 oculis vidissem, intuitus essem, comperissem. Sed in-
 terim mihi videris satis incurius rerum naturalium.
 MEN. Quamobrem? quia non credo volare asinos?
 O G Y. An non vides quàm ludat artifex natura in

omnium rerum coloribus ac formis exprimendis, quum alis quidem in rebus, sed precipue in gemmis deinde, quam admirandas vires gemmis illis indiderit prorsus incredibiles, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi, crediturus eras chalybem intactum à magnete attrahi, & rursus ab eodē depelli sine contactu, nisi vidisses oculis? ME. Profecto nunquam, etiamsi decem Aristoteles mihi deirassent. O. Ne protinus igitur fabulosum clames, si quid audis nondum experimento comperitum. In (.)ceramnia fulminis videmus imaginem: in pyropo vivum ignem, in chalazia grandinis & speciem & rigorem, etiamsi conicias in medium ignem: in smaragdo profundas ac pellucas maris undas: carcinas cancri marini speciem imitatur, echites, vipere, scarites scari piscis, hieracites accipitris, geranites gruvis collum effictum exhibet, agophthalmus caprinum oculum ostendit: est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: lycophthalmus lupi pingit oculum quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrum candido cingitur: cymelam nigram, si aperias, fabam in medio reperies: dryites truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoque: cistsites & narcisites hederam pingit: astrapias fulminis radios è medio candido seu cyaneo iaculatur: phlegonites incendium intus ostendit, quod non exeat: in anthracitide videas scintillas quasdam discurrere: crocias croci colorem reddit, rhodites rose, chalcites aris, aërites aquilam exprimit, candā candicante: taos pavonis

picturam

picturam habet, chelidonia asspidis: myrmecites in-
 natam habet formice repentis imaginem: cantha-
 rias scarabeum totum exprimit: scorpites scorpium
 mirè depingit. sed quid ego hæc prosequor, quæ sunt
 innumera? quum nulla sit nature pars vel in elemē-
 tis, vel in animantibus, vel in plantis, quam illa ve-
 luti lasciviens non expresserit in Gemmis? Miraris
 in hac gemma buffonem expressum? MEN. Miror
 nature tantum esse otii, ut sic ludat omnium rerum
 imitatione. OGY. Voluit exercere curiositatem
 humani ingenii, nosq; vel sic ab otio propellere. Et
 tamen, quasi nihil sit quo fallamus tedium temporis,
 insanimus in moriones, in aleas, in prestigiarium
 ludibria. MENEDE. Verissima predicas. OG.
 Addunt quidam non leves, hæc gemmarum genus,
 si admoveas aceto, innatare, ^{sc. aceto} motis etiam membris. ^{sc. buffonis}
 MENE. Cur buffonem addunt virgini? OGY. ^{imprægi.}
 Quia hæc spurcitiem omnem, virulentiam, fastum,
 avaritiam, & quicquid est terrenarum cupidita-
 tum, vicit, calcavit, extinxit. MEN. Oe nobis qui
 tantum buffonem geramus in pectore. OG. Pari e-
 rimus, si sedulo colamus Virginem. ME. Quomodo
 gaudet coli? OG. Gratissimum illi cultum præstite-
 ris, si fueris imitatus. ME. Numero (2) dixisti: sed
 istuc per difficile est. OG. Est sanè, sed idem pulcher-
 rimum. ME. Age, perge quod coeperas. OG. Deinde
 commonstrat aureas argæ casq; statuas. Hæc inquit,
 merè aurea est, hæc argentea inaurata: addit singu-
 lis pōdus, pretium, ac doni autorem. Cū ad singula
 mirabūdus gratularer virgini istam beatā opulentia,

Myſtagogus quoniam, inquit, video te pium ſpectatorem, non arbitror æquum, ut te quicquam celem, videbis, quæ virginis ſunt ſecretiſſima: ſimulq; depromit ex ipſo altari mundum rerum admirabilium, cuius ſingulas partes ſi pergam reſenſere, dies hic non ſuffecerit narrationi. Sic illa ſanè peregrinatio mihi feliciffimè ceſſit. Expletus ſic affatim ſpectaculis: hoc in eſtimabile donum mecum aufero, pignus ab ipſa virgine datum. ME. Nullūmne feciſti periculum quid valeat lignum tuum? OG. Feci in diverſorio quodam ante triduum reperi quendam mente captum, cui iam parabantur vincula: lignum hoc ſuppoſitum eſt illius cervicali clām ipſo: obdormiit ſomno profundo pariter ac prolixo: mane ſurrexit integra mentis. ME. Non fuerat phreneſis, ſed (3) parænia fortaffis. Huic malo ſolet mederi ſomnus. OG. Cū libebit iocari Menedeme, fac aliā tibi quæras mater iam: in Divos iocis ludere, nec piū eſt, nec tutum. Imò vir ipſe narrabat, ſibi in ſomnis apparuiſſe mulierem admirandā ſpecie, quæ poculum ipſi porrexerit. ME. Elleborum opinor. OG. Iſtuc incertum eſt, illud certiffimum, hominem mentis eſſe compotem. ME. Præteriſti Thomā Cantuarienſem Archiepiſcopū? OG. Minimè gentium. Nulla peregrinatio religioſior. M. Audire geſtio, niſi moleſtū eſt. OG. Imò te quaſo, ut audias. Cantiū dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Flandriā ſpectat. Huius metropolis eſt Cātuarīa. In ea ſunt duo monaſteria penè contigua, utruq; Benediſtinos habet. Id quod habet D. Auguſtini titulū, videtur antiquius, hoc, quod nūc appellatur

appellatur divi Thomae, sedes Archiepiscopi fuisse videtur, ubi cum paucis electis monachis vitam ageret, quemadmodum & hodie praesules habent aedes ecclesiae contiguas, sed ab aedibus reliquorum Canoniorum semotas. Olim enim ferè tum episcopi, tum canonici monachi erant. Id arguunt manifesta rerum vestigia. Templum autem divo Thomae sacrum tantà maiestate sese ~~egit~~^{erexit} in cælum: ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Itaq; nunc suo splendore vicini luminibus officit, & locum antiquitus religiosissimum veluti obscurat. Turres sunt ingentes duæ, procul veluti salutes advenas, mirorq; nolarum anearum boatu longè lateq; regionem vicinam personantes. In vestibulo templi, quod est ad austrum, stant saxo sculpti tres armati, qui manibus impiis virum sanctissimum trucidarunt: addita sunt gentis cognomina Tusci, Fusci, Berri.

MENE. Cur tantum honoris habetur impiis?

OGY. Videlicet idem honoris habetur iis, quod habetur Iudæ, Pilato, Caiphe, cohorti militum sceleratorum, quos operosè sculptos vides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne quis posthac usurpet gloriæ causâ. Ingeruntur oculis, ne quis aulicus posthac iniiciat manus vel in episcopos, vel in possessiones ecclesiae. Nam tres illi satellites à per-
aëlo facinore versi sunt in rabiem, nec reddita mens est, nisi implorato Thomae sanctissimi favore.

MENE. O perpetuam martyrum clementiam!

OGY. Ingressis aperit sese speciosa quadam edificii maiestas. Ea pars quoslibet recipit. MEN. Ni-

Ff s hilne

hinc illic visendum? O G. Nihil præter structuræ mollem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est Evangelium Nicodemi & sepulchrum nescio cuius. M E. Quid deinde? O G. Cancelli ferrei sic arcent ingressum, ut conspectum admittant eius spaci, quod est inter extremam eadem & chori, quem vocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradibus, sub quibus testudo quedam aperit ingressum ad latus septentrionale. Illic ostenditur altare ligneum dææ virgini sacrum pusillum, nec ullâ re visendum, nisi monumento vetustatis, luxum hisce temporibus exprobrâre. Illic vir pius dicitur extremum Vale dixisse virgini, cum mors immineret. In ara est cuspis gladii, quo præfectus est vertex optimi præsulis, ac cerebrum contusum, videlicet quo mors esset præsentior. Huius ferri sacram rubiginem amore martyris religiose sumus exosculari. Hinc digressi subimus (4) cryptoporticum, ea habet suos mystagogos: illic primum exhibetur calvaria martyris perforata: reliqua tecta sunt argento: summa cranii pars nuda patet osculo. Simul ostenditur plumbea lamina Thomæ Acrensis titulum habens insculptum. Pendent ibidem intenebris indusia cilicina, cingula, subligariaq, quibus antistes ille subigebat carnem suam, ipso aspectu horrorem incurientia, nobisq, mollitiem ac delicias nostras exprobrantia. M E N. Fortassis & monachis ipsis. O G Y. Istac de re nec adfirmare possim, nec negare: nec refert quidem mea. M E N. Vera narras. O G Y. Hinc redimus in chori locum.

Ad

Ad latius septentrionale referantur arcana : dictu
mirum, quantum ossium illinc prolatum sit, cal-
varia, menta, dentes, manus, digiti, integra bra-
chia, quibus omnibus adoratis fiximus oscula :
nec erat futurus finis, nisi qui mihi tum comes
erat eius peregrinationis parum commodus, in-
terpellasset ostentandi studium. MEN. Quis i-
ste? OGY. Angelus erat nomine Gratianus Pul-
lus, vir eruditus ac pius, sed minus affectus erga
partem hanc religionis, quam ego volebam. ME.
Vixevit quispiam, opinor. OGY. Non arbitror,
etiam si libros illius legerat, incertum unde nactus.
MEN. Is offendit mystagogum? OGY. Prolatum
est brachium adhuc carnem habens sanguinolent-
iam : huius osculum exhorruit, ac vultu quoque re-
dium quoddam præ se ferebat. Mox sua recondidit
mystagogus. Hinc spectavimus altaris tabulam &
ornamenta, quæ mox sub altari fuerant recondita,
opulenta omnia : diceres Midam & Cræsum fuisse
mendicos, si spectares vim auri atque argenti.
MEN. Hic nihil osculorum? OGY. Non, sed al-
liud votorum genus tetigit animum meum. ME.
Quodnam? OGY. Suspirabam, domi meæ nihil esse
talium reliquiarum. ME. Sacrilegsum votum. O.
Fateor, & supplex veniam precatus sum à Divo
prius quam pedem efferrem templo. Post hæc duci-
mur in sacrarium. Deus bone, quæ illic pompa ve-
stium holosericarum, quæ vis candelaborum aureo-
rum? Ibidem vidimus pedum divi Thomæ Videba-
tur arundo laminâ arēgeâ obvestiâ, minimū erat
pon-

ponderis, nihil operis, nec altius quam usq. ad cingulum. MEN. Nulla crux? OGY. Nullam vidi. Ostensum est pallium holofericum quidem, sed crasso filo, nullo auro, gemmisq. insigne. Aderat & sudarium, sudoris ex collo contracti, manifestasq. sanguinis noras retinens. Hæc vetusta frugalitatis monumenta libenter sumus osculati. MEN. Ista non ostenduntur quibuslibet. OGY. Nequaquam, ô bone. MEN. Vnde tibi tantum est habitum fidei, ut nihil arcani celeretur? OGY. Erat mihi nonnihil notitiæ cum R. P. Guilhelmo Vuaramo archiepiscopo, is me tribus verbis commendavit. MEN. Ex multis audio virum singulari præditum humanitate. OGY. Quin potius dicas ipsam esse humanitatem, si nôris. Jam ea doctrina, ea morum sinceritas, ea vite pietas, ut nullam absoluti præsulis dotem in eo desideres. Ab his igitur deducimur ad superiora. Nam post altare summum rursus velut in novum templum ascenditur. Illic in sacello quodam ostenditur tota facies optimi viri inaurata, multis gemmis insignita. Hic casus quidam inopinatus penè totam illam felicitatem interturbavit. MEN. Expecto quid mali dicas. OGY. Hic minimum inuit gratiæ comes meus Gratianus. Is à precatiuncula rogavit mystagogum assessorem. Heus, inquit, bone pater, verumne est, quod audio Thomam dum viveret, fuisse benignissimum erga pauperes? Verissimum, inquit ille: cæpitq. multa de illius erga tennes beneficentia commemorare. Tum Gratianus. Non arbitror

eum

eum adfectum in illo mutatum esse, nisi forte in melius. Assensus est mystagogus: Rursum ille: *Quis igitur vir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, cum adhuc pauper esset, et ipse praesidiis pecuniarum egeret, ob corpusculi necessitatem: an non putas equo animo laturum nunquam tam opulentus sit, nec ullius egeat, si qua mulier paupercula, domi habens liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibuscumque praesidiis destitutum, precata veniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam sublevande familie, velut a volente sumens vel dono, vel mutuo?* Ad haec cum nihil responderet assessor capitis aurei: Gratianus ut est vehemens. Ego, inquit, plane confido, sanctissimum virum etiam gavisurum, quod mortuus quoque suis opibus sublevaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra: Gorgoneis oculis nos obtueri, nec dubito quin spuito convitiisque nos cieciturus fuerit e templo, nisi cognovisset, nos ab Archiepiscopo commendatos. Equidem ut cunque placavi blandis verbis iram hominis, negans Gratianum quicquam horum ex animo loqui, sed suo more ludere, simulque drachmas aliquot deposui. **M E N.** Ego sane tuam pietatem vehementer approbo. Verum mihi nonnunquam serio venit in mentem, quo colore possint excusari a crimine, qui tantum opum insumunt templis extruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omnino sit modus. Fateor in sacris vestibris, in vasis templi

pli, deberi cultui solenni suam dignitatem: volo & structuram habere maiestatem suam: Sed quorsum attinent tot Baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ? quorsum organorum, quæ vocant, immensi sumptus: nec unicus interim contenti sumus: quorsum ille musicus hinnitus, magno censu conducendus: quum interim fratres & sorores nostræ, virag, Christi templa siti fameq, contabescant.

OGY. In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat: verum quoniam hoc vitium ex immodicâ quâdam pietate nascitur, favorem promeretur, præsertim quoties in mentem venit diversus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista ferè donantur à potentibus ac monachis, deterius peritura in aleam ac bellam. Et si quid hinc alienes, primum habet pro sacrilegio: deinde contrahunt manus suas, qui dare solent, insuper & invitantur ad rapinam. Igitur harum rerum magis illi custodes sunt, quàm domini. Denique malletm videre templum sacrâ supellectile luxurians, quàm, ut sunt quadam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora, quàm templis.

MEN. At legimus olim laudatos episcopos, qui vasa sacra divendiderunt, eâ pecuniâ subveniunt egenis?

OGY. Laudantur & hodie, sed laudantur tantum: imitari nec licet, nec libet opinor.

MEN. Remoror tuam narrationem. Nunc exspecto fabule catastrophen.

OGY. Accipe: paucis expediam. Inter hæc prodit summus ill. Myrtaogus.

MEN. Quisnam? Abbas loci?

OGY. M. tram

habet,

habet, census habet abbatlicos, solo nomine caret,
& prior dicitur, ob id, quod Archiepiscopus Ab-
batis loco est. Nam antiquitus quisque erat eius di-
tionis Archiepiscopus, idem erat & Monachus.
MEN. Equidem vel Camelus appellari sustineam,
si census esset Abbate dignus. OGY. Tibi quidem
visus est vir pius iuxta ac prudens, neque Scotica
Theologia rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua re-
liquum sancti viri corpus quiescere dicitur. MEN.
Vidisti ossa? OGY. Id quidem fas non est, nec lice-
ret, nisi ad motus scalis: sed auream thecam theca
contegit lignea: ea funibus sublata, opes nudat in-
estimabiles. MEN. Quid audio? OG. Vilissima pars
erat aurum: gemmis raris ac pregrandibus colluce-
bant, nitebant, ac fulgurabant omnia: quedam su-
perabant ovi anserini magnitudinem. Ibi multa
cum veneratione circumstabant aliquot monachi:
sublato tegumento adoravimus omnes. Prior can-
didâ virgâ demonstrabat contactu singulas gem-
mas, addens nomen Gallicum, precium & antho-
rem doni. Nam præcipuas monarchæ dono miserât.
MEN. Oportuit illum esse præditum insigni memo-
riâ. OGY. Rectè coniectas: quanquam ueruat & ex-
ercitatio: frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in
cristoporicum. Illic domicilium habet virgo mater,
sed sub obscurum, semel atq; iterum ferreis cancel-
lis circumsepta. MEN. Quid metuit? OG. Nihil o-
pinor, nisi fures. Nec enim unquam vidi quidquam
divitiis onustius. MEN. Cecas mihi divitias nar-
ras. OGY. Admotis lucernis vidimus plusquam
regale

regale spectaculum. MEN. Vincit opib^{us} Parathalassiam? OGY. Specie longe superat: abstrusa novit ipsa. Hæc non ostenditur, nisi magnatibus, aut præcipuis amicis. Postremò reducimur in sacrariū: illic detractum est scrinium nigro contentum corio: depositum est in mensam, apertum est, mox omnes flexis genibus adorant. MEN. Quid inerat? OGY. Fragmenta quædam linteorum lacera, pleræque mucici vestigium servantia. His, ut aiebant, vir pius extergebat sudorem à facie sive collo, pituitam à naribus, aut si quid esset similem sordium, quibus non vacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursus non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo & noto, nec mediocris authoritatis viro Prior benignus unum è linteolis obtulit dono, credens sese munus longè gratissimum offerre. Sed Gratianus hic parum gratus, non sine fastidii significatione digitis contrectavit unum, & contemptim reposuit. porrectis labiis, veluti popysinum imitans. Nam hic illi mos erat, si quid offenderet, quod tamen contemnendum esse iudicaret. Meum animum simul & pudor & timor scrutiabant. Prior tamen, ut est homo non stupidus, dissimulabat hoc factum, nosq^{ue} post oblatum vini poculum, humaniter dimisit. Cum rediremus Londinum. MEN. Quid oportuit, quum iam non procul abesses à littore tuo? OGY. Sic est. Sed ego littus illud perquam lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis, quam ulla sunt Malee naufragiis. Dicam quod proximà vidi trasectione. Com-

ne. Complures à littore Calerienti scalmo devehebamur ad navem maiorem. In his erat Gallus quidam iuvenis pauper ac pannosus. Ab hoc exigunt dimidium drachmæ. Tantum enim extorquent à singulis ob brevissimam vectionem. Ille excusabat paupertatem: isti per iocum explorant scilicet, ac detractis calceis, inter suppastas soleas reperiunt decem aut duodecim drachmas: eas eripiunt palam ridentes, & convitiis ludentes in sceleratum Gallum. ME. Quid iuvenis? OG. Quid aliud? Flebat. ME. Num ex auctoritate faciebant ista? OG. Prorsus eadem, quâ furantur sarcinas hospitum, quâ tollunt crumenas, si quando datur oportunitas. MEN. Mirum est istos tantum audere facinus, tot testibus consciis. OG. Sic assueverunt, ut rectè fieri putent. Spectabant è maiore navi complures: in cymba aderant aliquot Angli negotiatores, qui frustra obmurmurabant. Illi, velut in re faceta, gloriabantur deprehensum sceleratum Gallum. ME. Ego istos maritimos fures ludēs ac iocans subigerem in crucem. OG. Atqui talibus scatet utrumq; littus. Hic mihi coniecta: Quid domini faciant, ausint cùm talia fures. Proinde posthac quaslibet ambages malim, quàm illud compendium. Ad hæc, quemadmodum ad inferos facilis descensus, sed reditus difficilissimus: ita per hoc littus ingressus nō admodū facilis, exitus difficilissimus est. Herebant Londini nautæ aliquot Antverpienses, cum illis decreveram me Mari committere. MEN. Habet ea regio nautas adeo sanctos? OG. Ut simia semper est simia, fateor, ita nauta

Gg semper

semper est nauta: verum si ad hos conferas, qui vapro vivere didicerunt. Angeli sunt. MEN. Meminero si quando me quoque libido cepit eam insulam invendi. Sed in viam redi, unde te deduxi. OGYGI. Ergo Londinum petentibus hand procul a relictâ Cantuaria. occurrit via vehementer cava simul & angusta, præterea declivis sic utrinque abrupto aggere, ut non possis effugere: nec vitari potest, quin hac facias iter. Ad eius viculum latus est mendicabulum aliquot seniculorum: ab eis procurrit aliquis, simulatq; sentiunt advenientem equitem: conspergit aquâ sacrâ, mox offert culcei summam partem obvinctam aereo circulo, in quo vitrum est gemma specie. Exosculati dant numulum. MENEDE. In eiusmodi viam alim mendicabulum seniculorum, quam gregem valentium latronum. OGYGI. Gratianus equitabat mihi sinister, propior mendicabulo: conspersus est aquâ: tulit utcunque. Vbi porrigeretur calceus: rogabat, quid sibi vellet. At calceum esse S. Thomæ. Incanduit homo, & ad me versus: Quid, inquit, sibi volunt hæ pecudes, ut osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem operâ porrigunt osculandum sputum, aliâque corporis excrementa: Miserebat me seniculi, datoque numulo consolatus sum tristem. MEN. Meâ sententiâ non omnino præter causam incanduit Gratianus. Si calcei, soleaq; servarentur, ut argumentum fragilis vitæ, non improbarem: ceterum impudens mihi videtur, soleas, calceos, & subligaria cuiquam osculanda

osculanda obtrudere. Nam si quis id suâ sponte fa-
 ciat ex ingenti quodam pietatis adf. et, veniâ di-
 gnum arbitror. O G. Prestabai ista non fieri, ne
 quid dissimulem: verum ex his rebus, quæ subito
 corrigi non possunt, soleo si quid inest boni decerpere.
 Delectabat interim animum meum illa contempla-
 tio, virum bonum esse similem ovi, malum noxiæ
 bestie. Vipera posteaquam periit, mordere quidem
 non potest, odore tamen sanieq, inficit: ovis cum vi-
 vit, lacte nutrit, lanâ vestit, foeturâ dicit: mortua
 porrigit utile corium, totâque esculenta est. Idem
 viri feroces, et huic mundo dediti, dum vivunt, o-
 mnibus incommodi sunt: mortui, str. pitu nola-
 rum, ambitiosâ sepulturâ molesti sunt vivis, nonnun-
 quam et successorum inaugurationibus, hoc est, no-
 vis exactionibus: probi verò nulla non ex parte ma-
 gnâ omnibus de se præbent utilitatem: velut hic
 Divus, dum in vivis esset, exemplo, doctrinâ, monitis
 ad pietatē invitabat, consolabatur destitutos, suble-
 vabat egenos: ac mortui penè maior utilitas. Exstru-
 xit hoc locupletissimum templum: sacerdotum or-
 dini per universam Angliam plurimum authorita-
 tis conciliavit. Hoc deniq, calcei fragmentum alie
 egenorum conventiculum. M. E. Est quidem ista pia
 contemplatio: sed de miror, te, quum isto sis animo
 nunquam invisisse antrum sancti Patricii, de quo
 prodigiosa quædam vulgo iactant, nec mihi satis ve-
 risimilia. O G. Imò nulla hic tam prodigiosa potest
 esse narratio, quin res ipsa superet. M. E. Ergo illuc
 quoque penetrasti? O G. Enavigavi paludem verè
 Gg 2 Stygiam,

Stygiam, descendi in fauces Avernus: vidi quicquid apud inferos geritur. ME. Bearis me, si non graveris referre. OG. Sit hoc colloqui nostri proœmiū, satis, ut arbitror, prolixum: Eo domum, ut iubeam adornari cœnam: nam adhuc impransus sum. ME. Cur impransus? num religionis gratiā? OG. Minime: sed invidiæ causā. ME. Num invidēs ventri tuo? OG. Imò rapacibus cauponibus, qui quum nolint quod æquum est adponere, tamen non verentur ab hospitibus, quod iniquum est, exigere. Eos sicut cisci soleo. Si spes datur cœnæ lautioris, vel apud notum, vel apud pandocheum, paulò minus sordidum, in prandio laborat mihi stomachus. Sin prandium obtulit fortuna, quale volo, sub cœnam incipit dolere stomachus. ME. Non pudet videri parvum ac sordidum? OG. Menedeme, qui talibus in rebus pudoris impendium faciunt, crede mihi, malè collocant sumptum. Ego meum pudorem aliis usibus servare didici. ME. Iam sitio reliquum fabulæ: quare me in cœna expecta convivam: ibi narrabis commodius. OGY. Equidem habeo gratiam, quòd ultrò temet offers convivam, quum multi vehemèter rogati pernegent: sed hæc tibi conduplicabitur gratia, si hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc sumetur salutandæ familiæ. Caterùm habeo consilium utriusque nostrum commodius. Cras mihi uxoriq; meæ domi tuæ adornato prandium: tum vel usq; ad cœnam profrentur fabulæ, donec te fatearis iam esse saturum: Et si voles, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput? Tu para: nos bonâ fide veniemus. ME.

Malim

Malim ineptias fabulas. Verum agè, prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias.
 O G. Sed heus tu, nonne titillat te animus, ut has peregrinationes obeas? M E. Fortasse titillabit, ubi tu peroraveris: nunc ut adfectus sum, sat habeo stationis obire Romanas. O G Y. Romanas, qui Romam nunquam videris? M E N. Dicam. Sic domi obambulo, ingredior conclave, curòq, ut salva sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinam, contemplor quid agant famuli famuleque. Inde in culinam, circumspiciens si quid opus sit admonitu: hinc aliò atque aliò, observans quid agant liberi, quid uxor, sollicitus ut omnia sint in officio. Ha mihi sunt stationes Romanae. O G Y. At ista pro te curaret divus Iacobus. M E N E D. Ut ipse curem ista, præcipiunt sacrae literae: ut Divis committam, nusquam legi præceptum.

(a) *Imbricatis*, i. imbricum specie variatis, vide Plin. lib. 6. cap. 53. de mirâ varietate concharum. (b) *Culmens* è stramine factis. (c) *Ova serpentum*, significat globulos, quibus utuntur ad numerandas preces. Sic enim ova serpentum, cum prodeunt, cohaerent. (d) *Ut oblinere*, pro fallere, vide Chiliades. (e) *Impia persuasio* Ironia est, cum sit admodum pia. (f) Id est, ab ipsa scriptam, quemadmodum oracula dicuntur auroreus ab ipso Deo reddita voce, Vergilius: *ipsa canas ero*. (g) Nota est fabula de Carolo Magno, qui cum desperaret veniam admissorum, S. Aegidius impetravit syngrapham ab angelo, continentem hunc versiculum: *Aegidii merito Caroli peccata remitto*. (h) Sentit de Lydio lapide, qui dicitur index, is prodit

prodit aurum subaratum aut imitatum. Lege apud Ovid. fabulam de Batto in lapidem verso. (i) *Æditum* veteres, ut indicat Varro, *æditum* vocabant. Custos erat tuenda sacrae ædis. (k) *Cataphrasto*, i. gravi armaturâ munito. (l) Hoc enim nomine sanctum illum amabilem, reddidit formidabilem, quemadmodum Iohannem Baptistam præter alios morbo comitiali: Hubertum hydrophobo, item alios aliis malis. Et hæc vertimus in quæstum nostrum, cuius studiosiores sumus, quàm servandarum animarum (m) *Apodexu* demonstratio quæ propriè sit à mathematicis per literas depictas. (n) *Telos* id est, tributum, sive vectigal. (o) *Mythagogus*, qui ostendit arcana, qui & hierophanta dicitur. (p) *ex Mundo*, ex ornamentis. Dicitur autem mundus muliebris. (q) Est Iliados: *ἡρώων μάστιγι δὲ παρὰ τοὺς ἄλλους ἔρποντο*. Id est, expaverunt, omnibus autem in pedes decidit animus. (r) *Ex suo dimensio*. id est, ex modo præscripto. Romanus enim pontifex è dolo promittit: Episcopis certus modus præscriptus est. (s) Nam ad purgatorium nunc prorogant relaxationes. Vbi nullus est dies, & tamen dies vocant. (t) *Danardum dolium*, vide proverb. (u) *Limis*, id est, oculis obliquis ac semiclausis, quo se aspici leones indignantur. (x) *Tagus* inter fluvios aurificos commemoratur. (y) *Homaxaa*, Græcis dicuntur prægrandia, quasi quæ plaustrum iustum onus sint (z) *Colossi* dicuntur imagines ad miraculum usque grandes (1) Vide Plinium de gemmis. (2) *Número dixisti*, id est, expedite & compendio. (3) *Parania*, id est, deliratio ex vino. (4) *Cryptoporticus*, id est, subterranea porticus, quæ paratur adversus æstum solis.